

Incipit egregie cordatus promere: fantem  
 Suspiciunt sacri, prima virum, proceres.  
**Cui similem** ( nam cur non te de colle Quirini  
 Absentem hæc longe nostra Thalia vocet  
 Nota tibi, & partum ex merito gratetur honorem  
 Promens lætitiae conscientia dicta suæ ? )  
**Cui similem** te conspiciet, Lodoice, sedere  
 Inter præcipuos curia vestra patres  
**Magnarumque usu rerum**, ingenioque vigentem  
 Acri, vi Suadæ non sine flexanima.  
**Ingredere**, o magnæ magnum jubar addite genti,  
 Et decus antiquis adde novum titulis.  
 Urbs tibi se pulchre viden' ut Neptunia compsit,  
 Et varia ornatas præbet ab arte vias?  
**Argentoque**, auroque, & lucidula crystallo,  
 Et serum pictis omnia velleribus  
 Collucent late; late circumstrepit aura  
 Et plausu, & votis, lætifico & fremitu.  
**Quem procul excipiunt summa Tritones ab unda**,  
 Excitæque udis Nereides domibus,  
 Et vastæ pelagi qua se extendere lacunæ  
 Rezzonidum claro nomine cuncta sonant,  
**Rezzonidum**, atque tuo præ cunctis, optime Clemens.  
 Adriaci nam te magna maris domina  
 Progenito gaudet, multoque est læta magis, quam  
 Sola quod Adriaci est magna maris domina.  
 Quippe illam ut mire tu, sic te diligit illa,  
 Et civem esse suum jactitat adsidue:  
 Et quod clara novi per te splendoris adepta est,  
 Omne cupid domui reddere grata tuæ.  
 Sic eas, o, tecumque pie tua patria numquam  
 Certare alternis desinat officiis;  
 Atque tuos ornet, totque inter tristia rerum,  
 Et magni curas imperii anxiferas,